

PROBLEMA SECVNDVM.

*Quomodo horas communes interdiu ex
radijs Solaribus colligere queas?*

HORam communem interdiu ex Sole cognoscere yolens, gradum principio & signū in quo Sol sit eo die inuenias sciasq; oportet, gradū illum iam ex prima huius inuentum, in zodiaco tuæ regionis sicut supra didicisti inquire, & eò brachiolum cum filo repone cum ipso scilicet puncto P. Deinde gradum quoq; tuæ eleuationis polaris quere in scala meridiana, & illuc filum colloca, in filo quoq; pendentem vnionem super eundem gradum promoue, directe tamen super horam 12. Mox eleuato cum manu dextra Horoscopio versus Solem, fac vt libere dependeat ex illo filum, & quàm primum Sol per pinnulæ prioris foramina cadit ad foramina posterioris, ita nimirum vt radius superioris foraminis pinnulæ primæ vergat super foramen superius alterius pinnulæ, similiter & de altero vide vt facias, Et tunc quocumq; margarita ceciderit, inter decedentes illas lineas (quas & ideo obseruationis lineas supra diximus) ibidem noris horam esse quesitam. Id si fit ante meridiem, numerum horarum cape inter albos in imo, ibidem planè vbi inter 6. & 7. vocabulum ortus posuimus. Sin post meridiem, horæ numerum in inferiore optatā. Minuta quoq; seu quartas horæ partes inuestigaturus, locum vnionis diligentius obserua & Horoscopium eleua, vicissimq; deprime vnā cum cruce, idq; tantisper dum margarita illa aliquando cadat super lineam horæ primæ præcedentis, & iterum semel super lineam proxime sequentis, & viso diligenter ipso vnionis cursu ex eodem iuxta horarum proportionem minuta quoq; colligere earundē facillime poteris, quod hic tibi erat declarandū.

PROBLEMA TERTIVM.

*Quaratione quottidie horas & minuta quib.
Sol tum oritur tum occidit inuenias?*

SED & horam ortus Solis scire desyderas? age, Brachiolum cum puncto P fac vt iaceat super gradu Solis, sicut in Problemate præcedente fecisti, quū horas diurnas quareres. Id vbi feceris, sic retine immotum, & filum inter horas directe desuper decedentes repone ita vt ad nullam omnino lineam magis declinet velut intersectionem aliquā cum ea facturum, sed hoc modo quasi filū lineam horis cæteris parallēlam efficiat, & sic proxime apud filum in ordine inferiori numerum habes inter albos istos horæ ortiuæ, sicut & adiuncta ortus dictio arguit. Verum in linea inferiori horam habes occasus, vnā cum minutis residuis, proportione tantum horarum bene & diligenter ponderata. Vbi meo quoq; consilio obseruabis solerter, vbi filum superius horizontem contingat, ab eadem etenim Horizontis & fili lineam imaginari debes sub filo vsq; ad horas ortiuas infra descriptas, non secus ac architecti more lineam hanc cum filo ictam in papiro instrumenti expresseris, ea deinceps linea noctis dicetur, ad horas planetarias noctu inueniendas dici non potest quantū tibi pro futura.

PROBLEMA QVARTVM.

*Longitudinem dici noctisq; e linea
diurna quo pacto dignoscas?*

Retulerit hic plurimum quid sit linea diei docere, eam cognoscas hoc modo, Vbi iam ex problemate præcedenti horam ortus in numeris albis inuenieris, eandem cum minutis (si qua supersunt) in ordiue inferiori querito, hoc est inter numeros occasus, vt si Sol